

17.

Q. D. B. V.  
DE  
**OFFICIO HOMINIS**  
CVM APPARET  
**C O M E T A,**  
IN  
**GYMNASIO ZITTAVIENSI,**  
MODERANTE  
**CHRISTIANO WEISIO,**  
RECTORE,

*ad d. 20. Febr. MDC LXXXI.*

Publicè different

**GEORGIUS CHRISTOPHORUS Rehm/**  
Auensis Misn.

expositurus OFFICIUM PHILOSOPHI.

**Gottfried Edelmann/ Margliss. Lusat.**  
ostensurus OFFICIUM POLITICI.

**SALOMON Sperer/ Goldbergâ - Silec.**  
dicturus de OFFICIO CHRISTIANI.

*quibus accedent*

**PROLOGUS** Johannes Caspar Rethel/

**EPILOGUS.** Carolus Jacobus Ritter/  
Zittani.

Typis Michaëlis Hartmanni.



**L**eriæ publicæ sunt, simulq; admonemur nostri Officii, qvicunq; alias Juventutem Scholasticam hoc tempore in theatrum deducere , novisq; spectaculis defungī consuevimus. Sed publicus Patriæ luctus, cum Musicæ lætioris usum planè suspenderet, ac ipsas adeò lætandi occasiones juberet esse breviores ; Theatralibus etiam lubentiis quasdam velut inducias præscripsit. Nec immerito cessatur à ludis, postquam ille rebus humanis exemptus est, quo vivente multorum annorum non interrupta Spectacula se invicem exceperunt. Forte gravior aliquando fuerit voluptas, acerbioribus interstitiis pretium indepta : Si præsertim potentissimus **SUCCESSOR**, sua vita, suo flore, paternoq; suo amore lætissimis jubilis argumentum suppeditet.

Interim non defuerunt spectacula, per sumnum Firmenti Theatrum, si animo repetamus, quanto Spectatorum confluxu superioribus mensibus illustris planè & incomparabilis Cometa fuerit observatus, ut ad communem sive Comœdiam sive Tragœdiam invitari tantum non universus Orbis videretur. Quamobrem si nunc aliis Exercitiis vacare non licet, optimam otii publici rationem reddi posse credidimus, vocatis in admirationem Spectaculi Juvenibus, quorum profectus aliquo specimine Patronis tum præsentibus tum absentibus erant comprobandi.

Et sanè cum incerta variorum iudicia saepe dubium reddant discenris ingenium, ut quorū officiū limites inspendendo, in admirando, in conjiciendo extendantur, intellige pauci valeant; multum in nobilissima hac materia videba-

tur profecisse, qvi nosset, qvib<sup>9</sup> rationibus hoc officium sive circumsciberetur, sive ad apertiores carceres invitaretur, seu ut clarius loqamur, is demum Spectaculi fructum reportabit integrum, qvi primam facem acceperit è Philosophia, alteram è Politica, tertiam è Revelatione. Philosophia rationibus & experimentis innixa Veritatem sectatur: Politica h.e. homileticarum Virtutum in civili conversatione exercendarum Prudentia, quantum ea Veritas aperte jactitari, quantum caute dissimulari debeat, inqvirit: Revelatio tandem, si qvam Veritatem asseqvi nec ratio nec experientia possit, divinorum testimoniorum luce defectum supplet. Philosophia ostendit, qvid in animo statuere, Politica qvid apud alios profiteri, Religio qvid peccatis & Calamitatibus minuendis arripere debeamus.

Jam si Cometam revocare velimus ad industriam Philosophicam, qvatenus ea nostro tempore exquisitissimis instrumentorum adminiculis juvari potest, Phylicus ortum & interitum, simulq; cœlestium effluviorum conditionem speculabitur; Astronomus de situ & motu certiora prædicabit; Opticus originem lucis radiorum q; solarium in cœlesti hoc meteoro refractionem mirabitur. Cæterum an ad officium boni Philosophi judicia pertineant Astrologica, ideo haetenus mecum dubitavi, qvod Nobilissimus Tycho, cum anno 1577. Cometam ejus temporis luculentissimo Scripto illustraret, nihil de judiciis annecteret, veritus, ut aperte fatetur, ne extraordinarius hic aspectus conjecturam falleret, qvoniam in ordinariis siderum recursibus nihil certi adhuc haberri posset. Et sæpe mecum cogito Celeberrimum Weigelium per nostras Academias Mathematicorum facile Principem, qvi, cum Analysin Aristotelis ex Euclide restitueret, & in pulcherri- mo eo Scripto Mathematicarum disciplinarum distributionem sic iniret, ut qvasdam Reginas, alias vicissim præcipuas

X 2

Ad-

Administras agnosceret, tres ultimo subjicit Morionis vicem gerentes, Physiognomiam, Chiromantiam & Astrologiam.

Politici officium, ut diximus, non strictè accipitur pro gubernatione, quæ spectat Remp.; sed generatim, pro omni conversatione cum hominibus in Rep. viventibus, quæ nimurum felicissima tum est, sicubi à contemptu & odio reliquorum fama nostra defendatur. Qvis vero nescit duas hominum sectas hodie regnare, quarum altera de miraculis cœlestibus loquitur nimis contemptim, altera nimis superstitione. Qui ad Mathematicorum sectam propendent, quo certius naturales portenti causas perspiciunt, eo minus favent anxijs &, ut putant, anilibus querelis; inde apud reliquos Athorum, impiorum & Empæctarum titulos promeriti. Qui vicissim sub praetextu sanctitatis sua præfigia sic vendunt, ut eadem ē cœli scriptura, ac stellis tanquam ē certis literis profecisse, multi existiment; illos eruditioribus esse ludibrio, quis negaverit? Hinc si absurdum est, inter imperitos abstrusam Veritatem rimari, & e. g. apud Rusticos disputare de Antipodibus, de motu terræ, de magnitudine Solis: merito velim aliquos in proferendo suo judicio esse cautores, nec gloriolam captare eo loco, qui contemptum vel odium pollicetur. Ac sunt Politorum Regulae forsan ē fallaciis Logisticorum depromptæ, quibus respondendi necessitatem avertere queant, nihil respondendo, aliquid aliud respondendo, midium respondendo.

Qvod si tamen ista philosophandi vel dissimulandi mediocritas ad amissim non constet, respiciendi sunt officii Christiani limites, ut securè ea statuamus, quæ novimus à Spiritu Sancto nobis inculcata fuisse. Ac adeo nunc quæramus: quid de Cometis, eorū indēmque præfigiis vel significationibus Sacer ille liber credi voluerit. Sanè Cœli enarrant Gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum, Psalm. 19. Inde-

cre-

credimus Cometas' etiam extraordinarios esse divinæ Gloriæ  
Præones, ut ordinariam hanc operam suscipiunt Stellæ; ut ita  
loqvar, perpetuae. Nempe si nulla supernè mutatio contin-  
geret, qvæ humani ingenii satietas est, ad rerum cœlestium  
curam pauci raperentur: cum ex adverso post nova phæno-  
mena, novus velut calor eruditos occupet, qvi Astronomi-  
am multis modis reddat perfectiorem. Tycho duobus li-  
bris Astronomiam ita consummatam non exhibuisset, nisi  
Stella nova 1572. & Cometa 1577. curiosum animum ad curas  
potiores invitaslet. Ipse Hevelius quantum in Cometarum de-  
scriptione adjutus fuerit, anno 1664. & 1665, Liber ejus ex-  
qvositissimus testatur. An autem Cometæ futurorum sive ma-  
lorum sive bonorum sint præfigia, fateor locum me expre-  
sum nondum invenisse, qvi mihi persvaderet. Eqvidem  
Jeremias cap. 10. vers. 2. sic loquitur: *Hac dicit Dominus (ut*  
*nimirum eluceceret dicti Emphas) juxta vias gentium no-*  
*lite discere, & à SIGNIS COELI nolite metuere, qvæ timent Gentes.*  
Neq; minus notanda sunt verba Esaiæ, cap. 47. vers. 13. qvī-  
bus exagitat eorum labores, qvi ex sideribus supputare velint, qvid  
fibi esset venturum. Et ista fortassis causa Patres Concilii Tole-  
tani primi permovit, ut hunc simul canonem expressè reci-  
perent: *Si quis Astrologie vel Matheſi (ita per abusum eorum*  
*temporum vocabulum hoc de solis Astrologis accipiebatur)*  
*estimat credendum, anathema sit.* Videri omnino potest Gristorpii  
disputatio Rostochii anno 1664. habita. ad Actor. cap. 19. vers. 19. de  
Literis Ephesiorum comburendis, quo loco hos libros curiosos fuisse  
Astrologicos ita asserit, ut vaticinorum inde petitorum fun-  
damenta eleganter destruat.

Video qvid objici possit, primo enim Joël Propheta  
varia cœli signa prænunciat, qvæ antecessura sint terribilem  
Domini diem Cap. II, 30. deinde Christus signa in Cœlo nominat  
Luc. XXI. ante extremum judicium ventura. Sed de Joëlis

vaticinio dubium nullum est, qvippe cujus impletionem historia passionis Dominicæ jam exhibuit. Ibi enim illuxerat magnus & horribilis dies, quo judicabatur Princeps mundi: ibi Sol & luna splendorem amittebant, petrarum scissuris fulmus & vapor excitabatur, ut Joëlem velut præsentem talia aspexisse putas. Signa autem, de qvibus loquitur Christus planè futura sunt extraordinaria: Nam si verba spectemus, immediate magnum illum diem antecedent: Et tunc videbunt filium hominis Venientem in nube &c. *Vid. Kromayer. Theolog. Posit. Artic. XXII. Thes. s. & qvos ibi citat Theologos.* Jam quis talia applicet ad Cometas, ante natum Christum conspectos, imo qvales extituros fuisse auguramur, si homo mansisset in Statu innocentiae? At objiciunt aliqui, sic introduci securitatem publicam, ac eludi concionatorum piam intentionem. Sed respondeo primo, parum proficere argumenta, qvibus empaectæ ultimorum temporum objicere possint Demonstrationes Mathematicas. Deinde quis dixit, DEUM nos velle informare signis cœlestibus? certe enim Pharisæis signum à cœlo postulantibus non assurgebat Christus: qvinetiam cum dives Epulo putaret combibones suos fore meliores, si extraordinarium Concionatorem nanciscerentur, audiebat allegari Mosen & Prophetas, qvos qui contemneret, eundem pari licentia contempturum esse portenta & prodigia.

Interim ne quis putet talia dici adversus pietatem, Astrologiam Caino dictitatam ab ipso DEO *Gen. IV, 7.* contemplemur. Hic enim cum indignaretur hostiam Abelis benignioribus oculis à DEO respici, &, quemadmodum nonnulli volunt, igne cœlitus demisso comprobari, DEUS acclamabat, **NONNE SI BENE FECERIS, ELEVABERIS?** hoc est, si peccata vitaveris, pietatis Studium pro virili excrucieris, defectumq; tuæ Sanctitatis per futurum mulieris semen

men rite suppleveris, tunc fueris acceptus, tunc si vel ignis ē  
cœlo prodeat, faustum & benignum tibi omen illuceat.  
SI AUTEM NON BENEFECERIS, AD OSTIUM PEC-  
CATUM CUBAT, hoc est si contra Conscientiam præfra-  
ete peccaveris, futuri Messiae beneficia repudiaveris; signum  
Calamitatis non quærendū erit in Cœlo, sed ad ipsum ostium  
tuum, ad conscientiæ intimum aditum effulgebit Cometa, qvi  
supplicium a te reqviret. Repetamus igitur hæc verba: *Si be-  
neficerimus, si conscientiam habuerimus salvam, Cometam habebimus  
pro signo gratiæ, hoc est, mirandum hoc DEI opus profectum à Patre &  
amico hilares & lati contemplabimur: Ex adverso si conscientia nos fla-  
gitiorum convincat, non solos Cometas exhorrescere par est, sed omnes  
Creaturae tanto certius credantur funestæ & inimicæ, quo clarius constat  
peccatum esse inimicitiam adversus DEUM.* His cancellis circum-  
scriptum fuisse veri Christiani officium crediderim, neq; me  
feret impetus, ad Concionatorem evaporibus cælestibus com-  
pactum, quamdiu Mosen & Prophetas liceat audire. Nam  
si ex historiis constare dicitur, nunquam impune fulsisse Co-  
metam: singulis annis aliqua per orbem datur calamitas, si  
vel maxime absit Cometa, ut proinde siquid calamitates ve-  
lut perpetuas vel antecedat vel concomitetur, non statim no-  
minari debeat earundem præfigium.

Plura de his dicent Oratores nostri, quos ut Patroni  
ac Fautores benevole & peramanter audire velint, qva par-  
est, observantia rogo: daturus operam, ne quem exhibiti sive  
beneficii sive officii pæniteat. Faxit DEUS, ut svavissima  
nostra Patria, quæ multos impune vidit Cometas, hic eti-  
am de aspectu minus infelici sibi gratuletur.

Nunc subjiciimus Cantilenam clausulæ loco sic conci-  
mendam, ut interim à Choro foris occultato simul cantetur  
*Hymnus Ecclesiasticus.*

Gott

## I.

GOTT was geben sich vor Zeichen  
Ofttmahls in dem Himmel an/  
Welche zwar kein Mensch erreichen  
Noch gebührlich deuten kan:  
Doch wer deine Gnade liebt  
Läßt sich als zum besten dienen/  
Denn der Heyland ist erschienen  
Der sich selbst zum Pfände giebt.

## II.

Welcher seinen JESUM nennt  
Der ist schon vor GOTT befreyt;  
Und so lang er diß bekennet/  
Fürchtet er fein Herzeleid.  
GOTT der Licht und Himmel macht/  
Liebet uns in diesen Sohne:  
Drum so wird von seinem Throne  
Kein Erschrecknis hergebracht.

## III.

Nun GOTT helfe daß die Sünder  
Voller Glauben in sich gehn/  
Dß sie gleichfalls wie die Kinder  
Vor des Vatern Wohnung stehn:  
Und wofern der Höchste wil  
Dß wir Zeitlich sollen leiden  
Ach so geb Er uns mit Freuden  
Oben das versprochne Ziel.

## IV.

Hat doch CHRISTUS auch gelitten/  
Sol Ihm nachgefolget seyn;  
Nun so tret' er in die Mitten  
Und versüsse Creuz und Pein:  
Bis der Wechsel sol geschehn/  
Da die Engel und Propheten  
Nichts von Zeichen und Cometen  
Nichts von Dampff und Blute seh'n

